tamen cum appellationem ſuper ea re interpoſitam fuiſſe, & in numero [1] cognitionum pendere proponas, ea provocatio ſuo ordine [2] propter peculium ancillæ audiri debet.

Ultra tempus, quod datur ad proſequendam appellationem, dantur heredi appellantis quatuor menſes. Paul. de Caſtr.

6. Imp. CONSTANTINUS A. ad Baſſum Præf. urbi poſt alia.

SI [3] unus ex litigatoribus adhuc pendente appellatione [4] defunctus ſit, non reſiduum tantum temporis heredes ejus habeant, ſed etiam alios quatuor [5] menſes. Sin autem ad deliberationem hereditatis certum tempus indulgetur, poſt lapſum ejus temporis quatuor [6] menſium numerabitur [ſpatium:] ne ignorantes negotium, vel etiam ſuper adeunda hereditate dubitantes, priusquam aliquod commodum ſentiant, damnis affici compellantur. PP. 13. Kalend. Jun. *Sirmii*, CRISPO II. & CONSTANTINO II. CC. CONSS. 321.

TIT. LXVII.

DE HIS, QUI PER [7] METUM JUDICIS NON APPELLARUNT.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Dorophani.

SI contra te jure pronunciatum eſt, nec appellationis auxilium imploratum eſt, intelligis acquieſcere te ſtatutis oportere. In ſacro [8] enim comitatu noſtro timere nihil potuiſti. S. 15. Kal. Jun. *Philippopoli*, AA. CONSS.

Qui propter timorem vanum omittit appellare, videtur ſententiæ acquieſcere. Paul. de Caſtr.

2. Imp. JULIANUS A. Geminiano [9].

HIs [10], qui tempore competenti non appellant, redintegrandæ audientiæ facultas denegetur. Omnes igitur, qui contra Præfectos urbi, [Magiſtros officiorum,] vel Magiſtros militum, ſeu Proconſules, ſeu Comites [11], ſeu Præfectos Orientis, [ſeu Vicarios Auguſtales,] vel alium judicem ſub [12] ſpecie formidinis provocationem non arbitrantur interponendam, a revocanda lite repellantur [13]. † Qui vero vim ſuſtinuerunt, conteſtatione [14] publice propoſita, intra dies videlicet legitimos, quibus appellari [15] licet, cauſas appellationis evidenti affirmatione diſtinguant: ut hoc facto tanquam interpoſita appellatione iisdem æquitatis adminicula tribuantur. Emiſſa 15. Kal. Jul. [16] MAMERTINO & NEVITA CONSS. 362.

TIT. LXVIII.

SI UNUS EX PLURIBUS APPELLAVERIT [17].

Ubi eſt defenſio communis, & eadem ratio vincendi, appellatio unius omnibus prodeſt, ſed reſtitutio minoris non ſuffragatur majori. Bald.

1. Imp. ALEX. A. Licinio.

SI Judici probatum fuerit, unam [18] eandemque condemnationem eorum quoque, quorum appellatio juſta pronunciata eſt, fuiſſe, nec diverſitate factorum ſeparationem accipere, emolumentum victoriæ ſecundum ea, quæ [ſæpe] conſtituta ſunt, ad te quoque, [qui nec provocaſti] pertinere non ignorabit. PP. 14. Kal. Septembr. 2. *

2. Idem A. Sereno.

SI in una [19] eademque cauſa unus appellaverit, ejusque juſta appellatio pronunciata eſt: ei quoque prodeſt [20], qui non appellaverit. Quod ſi ætatis auxilio unus contra ſententiam reſtitutionem impetraverit, majori, qui ſuo jure non appellaverit, hoc reſcriptum non prodeſt.

TIT. LXIX.

SI DE MOMENTANEA [21] POSSESSIONE FUERIT APPELLATUM [22].

Sententia lata in poſſeſſorio etiam appellatione interpoſita, ſtatim ſortitur effectum: ita tamen poſſeſſio reformatur, ut quæſtio proprietatis integra ſervetur. Bald.

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. ad Euſignium P. P.

CUm [23] de poſſeſſione [24], & [ejus] momento cauſa dicitur, et ſi [25] appellatio interpoſita fuerit, tamen lata ſententia ſortitur effectum. Ita tamen poſſeſſionis reformationem [26] fieri oportet, ut integra omnis proprietatis cauſa ſervetur. Dat. 14. Kal. Decemb. *Mediolan.* HONOR. N. P. & EVODIO, CONSS. 386.

TIT. LXX.

NE LICEAT IN UNA EADEMQUE CAUSA TERTIO [27] PROVOCARE [28], VEL POST DUAS [29] SENTENTIAS JUDICUM, QUAS DEFINITIO PRÆFECTORUM ROBORAVERIT, EAS RETRACTARE.

Qui ſuccubuit in duplici appellatione, non poteſt tertio appellare ſuper eisdem articulis, & etiam ſupplicare. Bart.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

SI quis in quacunque lite iterum provocaverit, non liceat ei tertio [30] in eadem lite ſuper iisdem capitulis provocatione uti, vel ſententias excellentiſſimorum Præfectorum prætoro retractare [31]: licentia danda litigatoribus, arbitro dato, ipſius audientiam qui [32] eum dedit, ante [33] litem conteſtatam invocare: & hujusmodi petitione minime provocationis vim obtinente.

TIT. LXXI.

QUI [34] BONIS [35] CEDERE [36] POSSUNT.

De effectu ceſſionis.

1. Imp. ALEX. A. Irenæo.

QUi bonis ceſſerint, niſi [37] ſolidum creditor receperit, non ſunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodeſt, ne judicati detrahantur in carcerem [38]. PP. 12. Kal. Decemb. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De eo, qui ſolvere paratus eſt.

2. Impp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C. Abaſcanto.

SI quantitatem, quam licet Reipublicæ condemnatus debebas, inferre paratus es: fruſtra vereris, ne [39] verbum [40] *bonorum ceſſionis* temere a te prolatum, privare te necdum [41] diſtractis [42] facultatibus, juris rationibus poſſit. PP. 13. Kalend. Februar. PHILIPPO A. & TITIANO [43] CONSS. 246.

Si pater bonis ceſſerit.

3. Impp. VALERIANUS, & GALLIENUS, & VALERIANUS, Nobiliſſimus Cæſar AA. Juliano Leniſſæ.

SI pater [44] tuus bonis ceſſit propter onera civilia [45], ipſius facultates oportet inquiri: non patrimonium, quod tibi emancipato quæſitum dicis, inquietari. Quod ut fiat, implorare æquitatem Præſidis debes.

De provinciis & de effectu ceſſionis.

4. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. & CC. Chiloni.

LEgis Juliæ [46] de bonis cedendis beneficium, conſtitutionibus Divorum noſtrorum Parentum ad provincias porrectum eſſe, ut ceſſio bonorum admittatur, notum eſt: non tamen creditoribus ſua [47] auctoritate dividere hæc bona, & jure dominii detinere; ſed venditionis [48] remedio, quatenus [49] ſubſtantia patitur, indemnitati ſuæ conſulere permiſſum eſt. Cum itaque contra juris rationem res ju-

1 In numero cognitionum pendet appellatio, nondum re judicata ex appellatione: quemadmodum & *rei* ipſi *pendere* dicuntur nondum crimine liberati. 2 Id eſt, ſervato ordine introductionum. 3 Appellantium uno defuncto, heredes ejus quatuor alios menſes habent. Nam de hereditate adeunda deliberare poſſunt, ac deinceps, vel accipere & exercere appellationem, vel non accipere, *ut hic. Synopſ. Baſil.* 9. *tit.* 1. *cap.* 148. 4 *l.* 5. *ſupr. de appellat.* 5 Vid. *l.* 29. *ff. de re jud.* 6 Ultra tempus conceſſum appellanti ad exercendam appellationem, heres ejus quatuor menſes habet, qui non currunt ex morte defuncti: ſed ex quo finitum eſt tempus heredi deliberandi cauſa datum, vide omnino ad hanc conſtitutionem Cujac. *c.* 16. *de præſcript. verſ. Quintum eſt, ubi de temporib. exequendæ & agendæ appellationis.*

7 *L.* 11. *C. Theod.* 34. *propter*, Hal. 8 Ubi princeps, ibi ſecuritas: ibi etiam ceſſat juſti timoris præſumptio. *l. ult. ſupr. quod metus cauſa.* 9 *Ad Germanianum*, *l.* 30. *C. Theod. de appellat.* 10 *l.* 30. *C. Theod. de appellat.* 11 Metatheſis, ita legendum eſt, Comites Orientis, ſeu præfectos Auguſtales, ſeu vicarios vel alium judicem. *d. l.* 30. vid. Cuj. 8. *obſ.* 21. 12 Qui vano timore non appellat, ſententiæ videtur acquieſcere. 13 Adde *ex d. l.* 30. *Nobis enim moderantibus rempublicam, nullus audebit judex provocationis perfugium jurgantibus denegare.* 14 Qui juſto metu ductus non appellat, intra tempora appellationis coram notario proteſtari debet, per ſe non ſtare quominus appellet. Hujusmodi proteſtatio vim habet appellationis legitimæ. vide Mynſing. 4. *obſerv.* 44. 45. 15 *Appellare*, *d. l.* 30. 16 *Jun. d. l.* 30.

17 Et obtinuerit in cauſa appellationis, ejus victoria correo prodeſt. 18 *l.* 2. *J. h. t.* *l.* 10. *§.* 2. *ff. de appellat. l.* 1. *ſupr. de diverſ. reſcript.* 19 *l.* 1. *ſupr. h. t.* Goth. Totum hunc & ſeq. tit. Gratianus refert in *can.* 41. *cauſ.* 2. *q.* 6. Anſ. 20 In Gallia non prodeſt. Nam quilibet tenetur appellare. vid. Rebuff. *in proœmio conſtit. gloſſ.* 5. *num.* 98.

21 *Momentaria*, Hal. *ſi de momento fuerit appellatum*, *L.* 11. *C. Theod.* 37. Momentum eſt celeris reformatio, & reſtitutio poſſeſſionis per vim, aut alio modo ablatæ, aut interpellatæ. vid. Iſid. 5. *Etymol.* adde *l.* 8. *J. unde vi.* 22 Poſſuntne judices de cauſa proprietatis & poſſeſſionis ſimul cognoſcere? poſſunt, ſi caſus ita tulerit, non tamen coguntur. vid. Cujac. 2. *obſerv.* 35. 23 *l. un. C. Th. h. t.* 24 Mitti in poſſeſſionem ſi quis velit, contradictorem in jus vocare cogitur: qui ſi compareat, & miſſionis tempore expulſus non appellaverit, ad contradicendum poſtea non admittitur, *ut hic.* de quo vide Socinum *reg.* 163. 25 Ita celeris eſt momenti reformatio, *l.* 14. *J. de agricolis, & cenſit. lib.* 11. *tit.* 47. ut appellatione retardari non poſſit. Symmachus 1. *epiſt.* In cauſis quibus momenti reformatio poſtulatur, appellationes recipi non oportet. A ſententia, quæ cauſam poſſeſſionis dirimit, non licet appellare: ne quod beneficio celeritatis inventum eſt, ſubdatur injuriis tarditatis. *l.* 22. *Cod. Theod. quorum appellationes.* Hodie jure canonico appellari poteſt a poſſeſſione *cap. cum ad ſedem.* 15. *Extr. de reſtit. ſpoliat.* vid. Wurmſerum 1. *practic.* 24. *obſ.* 12. Sic appellare licet a cauſa momentaneæ poſſeſſionis, ubi notoria eſt injuſtitia: ſed & injuria per ſententiam illata reparari non poteſt: quoties melior eſt cauſa poſſidentis (ut in turpi cauſa) ubi miſſio facta eſt ex ſecundo decreto: ubi ſententia ſuper fructibus & eo quod intereſt lata. vide Socinum *reg.* 18. in Gallia ſententia poſſeſſorii (*recredentiam* vocant) executioni mandari poteſt, non obſtante appellatione. Imbert. *in Enchirid. in verſic. Un mineur.* Rebuff. *in proœm. conſt. gloſſ.* 5. *n.* 101. Goth. Intellectum hujus *l.* vid. apud Radelant. *deciſ. Ultraject.* 10. *n.* 7. Cujac. 1. *obſ. c.* 20. Anſ. 26 Reformari id dicitur quod reſtituitur.

27 Titulus ita conceptus eſt in Codice Theodoſiano, *De poſſeſſione ab eo, qui bis provocaverit, transferenda*, *l.* 11. *tit.* 38. adde *l.* 122. *§.* 5. *ff. de verb. oblig. Nov.* 82. *c.* 5. 28 In eodem articulo ſcilicet. vid. Wurmſerum 1. *pract.* 24. *c.* 25. 29 Veluti ſi appellavero a duumviro ad præſidem, a præſide ad præfectum urbi. 30 Appellare tertio in una eandemque cauſa non licet, *ut hic.* Quid ſi judex ſecundus appellationis reum expenſis oneravit? tertio appellare poſſe refert Angelus *hic.* Quid ſi conſenſu partium tertio, quartove appelletur? id permitti notat Bartolus *hic.* vid. Socinum *reg.* 328. 31 Retractatio eſt pro appellatione. 32 A ſententia judicis dati appellatur ad eum qui dedit. *l.* 1. *ff. quis & a quo appell.* 33 Recuſatio judicis non eſt appellatio.

34 An fœmina bonis cedere poteſt? vid. *l.* 7. *infr. h. t.* An eccleſia, minor, obligatus ad factum, mercator qui foro ceſſit, heres qui non confecit inventarium, debitor nulla moleſtia a creditoribus affectus, excommunicatus, ſubditus ob vectigalia & collectas non ſolutas: Doctor, miles, obligatus in ſpecie debitor, Si creditorem habeat pauperiorem: ſpoliatus bonis in bello vel propter bellum: bannitus bonis reſtitutus: Debitor dives condemnatus pro delicto, vide apud Martin. Brunum *tract. de ceſſione bonor.* 4. *q.* 1. ubi alias quoque quæſtiones proponit. adde Socin. *reg.* 46. ubi ſedecim caſus enumerat in quibus ceſſio bonorum non admittitur. 35 *Qui bonis ex lege Julia cedere poſſunt*, 4. *Cod. Theod.* 19. legis Juliæ meminit *lex* 4. *J. h. t.* 36 Dixi *L.* 42. *D.* 3. *Novell.* 135. 37 Qui bonis cedit, debito ipſo non liberatur ipſo jure, ſed ſolo carcere: poteſt enim rurſus a creditoribus conveniri, *l.* 7. *ff. h. t. Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. *ex tit.* 5. *c.* 8. Quid, teneturne tantum quatenus facere poſſit? tenetur. *§. cum eo quoque.* 40. *Inſt. de act.* Excipe quatuor caſus de quibus vide Socin. *reg.* 47. 38 Vincula & verbera propoſita erant iis, qui creditoribus ſuis ſatis non facerent, *ut hic. & l. ult. J. l.* 1. *Cod. Theod. h. t.* vide quæ ſcripſi ad leges 12. Tab. *tit. de hered. ab inteſt. in fin.* 39 Bonorum facta ceſſio, ſi res adhuc eſt integra, revocari poteſt. *l.* 3. *l.* 5. *ff. h. t. l.* 8. *J. de diſtract. pign.* Pœnitere in ea licet rebus adhuc integris. 40 Adde *l.* 7. *ff. ad l. Jul. majeſt.* 41 Id eſt, re integra. 42 Qui cedit bonis, diſtractionem bonorum patitur. *l.* 3. *l.* 5. *ff. h. t. l.* 11. *ſupr. ex quib. cauſ. infam.* adde *Novell.* 135. dixi ad *leg.* 12. *Tab. lib.* 2. *tit.* 20. *§.* 27. 43 *Fg.* Titiano. 44 Ceſſio bonorum facta a patre, ad bona liberorum ejus non extenditur. 45 Debitor principis, bonis poteſt cedere, *ut hic, & l.* 2. *in princ. ſupr. h. t.* 46 Lege Julia beneficium bonorum ceſſionis introductum. *Cod. Theod. h. t.* vid. Alciat. 2. *Parerg.* 4. 47 Facta bonorum ceſſione, creditores bona debitoris autoritate ſua jure dominii detinere non poſſunt. 48 Publice ſcilicet. 49 Id eſt, ſi modo res propria debitoris fuerit.

re [1] dominii teneas ejus, qui bonis ceſſit, te creditorem dicens, longi [2] temporis præſcriptione petitorem ſubmoveri non poſſe manifeſtum eſt. Quod ſi non bonis eum ceſſiſſe, ſed res ſuas in [3] ſolutum tibi dediſſe monſtretur, Præſes provinciæ poterit de proprietate tibi accommodare notionem.

De muneribus & honoribus.

5. Iidem AA. & CC. Myroni.

PRopter [4] honorem municipalem, vel munus [5], bonis cedentium invidioſam admitti ceſſionem minime convenit: ſed his obnoxios pro modo ſubſtantiæ fungi.

De profeſſione.

6. Imp. THEODOS. A. [apud acta] dixit.

IN [6] omni ceſſione [bonorum,] ex qualibet cauſa facienda, ſcrupuloſitate [7] priorum legum exploſa, profeſſio [8] ſola quærenda eſt. §. 1. *Idem* dixit, in omni ceſſione ſufficit voluntatis ſola profeſſio. Dat. Kalend. Maji, HONOR. N. P. & EUODIO CONSS. 386.

De filiisfamilias.

7. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

CUm & filiifamilias [9] poſſint habere ſubſtantias, quæ patribus acquiri vetitæ ſunt, necnon peculium [10], vel caſtrenſe, vel quod patre volente poſſident; quare ceſſio bonorum eis deneganda ſit? cum & [ſi] nihil in ſuo cenſu hi, qui in poteſtate parentum ſunt, habeant: tamen ne patiantur injuriam, debet bonorum ceſſio admitti. Si enim & paterfamilias admittendus eſt propter injuriarum timorem ad ceſſionis [11] flebile veniens adjutorium, quare filiisfamilias utriusque [12] ſexus hoc jus denegamus? cum apertiſſimi juris eſt, & inter patresfamilias & inter alieno juri ſubjectos, ſi quid poſtea [13] eis pinguius acceſſerit, hoc iterum usque ad modum debiti poſſe a creditoribus legitimo modo avelli. Dat. 10. Kal. Mart. *Conſtantinop.* poſt Conſulat. LAMPAD. & ORESTIS, VV. CC. 531.

Si quidam ex creditoribus inducias dare & alii ceſſionem bonorum accipere velint.

8. Idem A. Joanni P. P.

CUm [14] ſolito more a noſtra majeſtate petitur, *Ut ad miſerabile* [15] *ceſſionis bonorum homines veniant auxilium, & electio detur creditoribus, vel quinquennale* [16] *ſpatium eis indulgere, vel bonorum accipere ceſſionem, ſalva* [17] *eorum videlicet exiſtimatione, & omni corporali cruciatu ſemoto* [18]: quotidie dubitabatur, ſi quidam ex creditoribus voluerint quinquennales dare inducias, alii autem jam nunc ceſſionem accipere velint, qui audiendi ſint? In tali itaque dubitatione nemini putamus eſſe ambiguum, quod ſentimus, & quod humaniorem ſententiam [19] pro duriore eligimus, & ſancimus, ut vel ex cumulo debiti, vel ex numero creditorum cauſa judicetur. † Et ſi quidem unus creditor aliis omnibus gravior [20] in ſumma debiti inveniatur, ut omnibus in unum coadunatis, & debitis eorum computatis, ipſe alios antecellat: ipſius ſententia obtineat, ſive indulgere tempus, ſive ceſſionem accipere deſiderat. Si vero plures quidem ſint creditores, ex diverſis autem quantitatibus: etiam nunc amplior debiti cumulus minori ſummæ præferatur, ſive par, ſive diſcrepans numerus eſt creditorum: cum non ex frequentiſſimo ordine fœneratorum, ſed ex quantitate debiti cauſa trutinetur. Pari autem quantitate debiti inventa, diſpari vero creditorum numero: tunc amplior pars creditorum obtineat: ita ut quod pluribus [21] placeat, hoc ſtatuatur. Sin vero undique æqualitas emergat tam debiti, quam numeri creditorum, tunc eos anteponi, qui ad humaniorem [22] declinant ſententiam, non ceſſionem exigentes, ſed inducias: Nulla quidem differentia inter hypothecarios, & alios creditores quantum ad hanc electionem [23] obſervanda; in rebus autem officio Judicis partiendis, ſuam vim ſingulis creditoribus habentibus, quam eis legum præſtabit regula: Nullo præjudicio creditorum cuiquam ex quinquennii dilatione circa temporalem [24] præſcriptionem generando.

TIT. LXXII.

DE BONIS [25] AUTORITATE JUDICIS POSSIDENDIS [26], SEU VENUNDANDIS, ET DE SEPARATIONIBUS BONORUM.

1. Imp. ANTONINUS A. Atticæ.

IN bonis mortui potiorem eſſe cauſam legatariorum, qui eum (utpote heredem) convenire potuerunt [27]: quam eorum [28], quibus ipſe [heres] legavit, manifeſtum eſt: cum prius legatum quaſi [29] æs alienum exigatur: legatum autem a mortuo relictum, poſt [30] debiti detractionem inducatur.

Creditores defuncti impetrant ſeparationem a bonis, ſi fidem heredis non ſunt ſecuti. Paul. de Caſt.

2. Imp. GORDIANUS A. Ariſtoni.

ESt juriſdictionis tenor promptiſſimus, idemnitatisque remedium Edicto prætoris creditoribus hereditariis [31] demonſtratum, ut quoties ſeparationem [32] bonorum poſtulant, cauſa cognita impetrent. Reportabis igitur convenientem deſiderii tui fructum, ſi te non heredum fidem [33] ſecutum, ſed ex [34] neceſſitate [35] ad judicium eos provocare demonſtraveris.

3. Idem A. Claudianæ.

EX contractu, qui ceſſionem rerum anteceſſit [36], debitorem contra juris rationem convenies, cum eum æquitas auxilio exceptionis [37] muniat. At tunc demum iterato poſſis deſiderare conventionem, cum [38] tantum poſtea quæſivit, quod Præſidem ad ejus rei licentiam debeat promovere.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. & CC. Clarianæ.

INcivile eſt, quod poſtulas, ut unus ex chirographariis [39] creditoribus debitoris bona compellatur [40] ſuſcipere, ſatis [cæteris] ejus creditoribus facturus.

5. Iidem AA. & CC. Acyndino.

SI bona debitoris tui vacare [41] conſtet, & hæc a fiſco non agnoſcantur, in poſſeſſionem eorum mitti te a competente Judice recte poſtulabis. 17. Kal. Januar. * CONSS.

Creditores hypothecarii chirographariis præferuntur. Bald.

6. Iidem AA. & CC. Agathomaro.

PRo debito creditores addici [42] ſibi bona ſui debitoris non jure poſtulant [43]. Unde, ſi quidem debitoris tui cæteri creditores pignori res acceperunt, potiores eos, quam [44] te chirographarium creditorem haberi non ambigitur. Quod ſi ſpecialiter, vel generaliter nemini probentur obligatæ, ac ſine [45] ſucceſſore communis debitor, vel ejus heres deceſſit: non dominii rerum vindicatione, ſed poſſeſſione bonorum, itemque venditione, æquali portione, pro [46] rata debiti quantitate omnibus creditoribus conſuli poteſt.

Ubi creditor ſuccedit debitori pro parte: pro ea parte debitum confunditur, & non ultra, niſi eſſet relictum animo compenſandi. Bald.

7. Iidem AA. & CC. Domno.

SI uxor tua pro [47] triente patruo ſuo heres [48] exſtitit, nec ab eo [49] quicquam exigere prohibita eſt; debitum a coheredibus pro [50] beſſe petere non prohibetur: cum ultra [51] eam portionem, qua ſucceſſit, actio non confundatur [52]. Sin autem coheredes ſolvendo [53] non ſint, ſeparatione poſtulata, nullum ei damnum fieri patiatur. Dat. Kal. Decembr. AA. CONSS.

8. Iidem AA. & CC. Ælidæ.

IN poſſeſſionem rei ſervandæ uxor defuncti, vel alii creditores miſſi, dominium [54] ex ea cauſa tenentes adipiſci minime poſſunt.

Si citatus debitor comparet, ordinarie proceditur contra eum ad ſententiam ferendam, & exequendam, ſi non comparet, proceditur ad miſſionem, & venditionem. Bald.

9. Iidem AA. & CC. Teruncio.

CUm proponas, eum, contra quem ſupplicas ex adminiſtratione negotiorum tibi obligatum, hunc ſecundum juris rationem adito Rectore provinciæ potes convenire. Nam ſi [55] ad circumſcriptionem [56] tui juris latitat, nec defenditur, & eum *tuum eſſe debitorem* conſtat: ad exemplum Edicti, bonorum [57] ejus poſſeſſionem poteris impetrare. Tempore autem tranſacto, etiam venditionem eorum a competenti Judice poſtulare non prohiberis. Dat. 14. Kal. Septembr. DIOCLET. * & MAXIM. * AA. CONSS.

In AUTHENT. de exhib. & introducend. reis. §. ſi vero ſemel. col. 5. tit. 8. al. 6. Novell. 53. cap. 4.

ET *qui jurat* [58] ſe venturum ad Judicem, *ſi ſe ſubtraxerit, Judex ipſe ſi adminiſtrator ſit, vel is, qui Judicem dedit, jubeat, eum exhiberi.*

1 *l.* 9. *J. tit. proxim.* 2 Vid. *l.* 31. *ff. de uſurpat.* 3 Debitoris bona creditoribus in ſolutum dari poſſunt. 4 Facit *l.* 12. *in fin.* *S. de epiſc. & cleric. l.* 17. *S. de reſcind. vend. l.* 16. *ff. de munerib. l.* 9. *J. de excuſ. munerum.* 5 Evitandum ſcilicet. 6 *l.* 2. *Cod. Theod.* 7 Videtur ceſſio bonorum olim facta ſolennibus verbis. 8 Nuda voluntas, *d. l.* 2. *l. ult. ff. h. t.* vid. Fornerium 2. *ſelect.* 27. 9 *Filiusfamilias poſſit. Hal.* Etiam filiifamilias bonis poſſunt cedere. 10 Vid. Cuj. 13. *obſ.* 18. 11 Ceſſionis bonorum flebile auxilium eſt. 12 Cedere bonis mulier poteſt. vid. Matthæum Brunum *tract. ceſſ.* 4. *quæſt.* 1. Quid Eccleſia? poteſt quoque. *Nov. ut determinetur.* 11. *§. ſi quis autem.* 13 *l.* 4. 6. 7. *ff. h. t. l.* 3. *J. tit. prox. §. ult. Inſt. de act.* 14 Si creditorum alii dilationem dare debitori volunt ea lege, ne cedat bonis & integrum ſolvat: alii præſentem bonorum ceſſionem admittunt: qui potiores? Numerus creditorum inſpicitur. 15 Miſerabile bonorum ceſſionis auxilium. 16 Vid. *l.* 4. *S. de precib. imper. off.* vid. Papon. 10. *Arreſt.* 9. *des reſpits & quinquenelles: &* 3. *notar.* 8. Cujac. 2. *obſerv.* 10. Rebuff. *in tract. de litteris dilatoriis.* ſpatium hoc quinquennii a principe impetrabatur, at non beneficium ceſſionis bonorum. 17 Vid. *l.* 11. *S. ex quib. cauſ. infam.* vid. Hot. 24. *illuſtr.* 18 *l.* 1. *in fin. S. h. t.* adde *Nov.* 135. *& ibid.* Cujac. Fornerium 2. *ſelect.* 27. 19 Humanior ſententia, duriore reſecta, præferenda eſt & eligenda. 20 Facit *l.* 10. *ff. de pactis.* 21 Quod pluribus in bonorum ceſſione concedenda placet, admittendum. 22 *l.* 3. *in fin. ff. de his quæ in teſtamento:* dixi ad *l.* 56. *ff. de reg. jur.* 23 Secus quod ad jus debiti conſequendi. *l.* 1. *ff. h. t.* *l.* 6. *J. tit. prox.* Goth. An & quatenus majori parte creditorum conſentiente in induciarum conceſſione, aut debiti remiſſione minor pars ſequi debeat: vid. Cenſur. forenſ. noſtr. *lib.* 4. *c.* 44. *num.* 4. *& ſeqq.* S. L. 24 Dilatione pendente præſcriptio adverſus creditores non currit.

25 *De rebus*, *L.* 42. *D.* 5. 26 In Gallia non mittuntur actores in poſſeſſionem bonorum, maxime in cauſis beneficialibus, uti Rebuffus notat *proœm. conſt. gloſſ.* 5. *n.* 10. 27 *l.* 11. *in fin. ff. ut in poſſeſſ.* 28 Legatarii defuncti priores ſunt legatariis heredis, atque ita ordo eſt inter legatarios diverſorum teſtamentorum, quia legatarii prioris teſtamenti, reſpectu legatariorum ſecundi teſtamenti, quaſi creditores cenſentur. 29 Legatum, quaſi æs alienum. 30 Legatum detracto ære alieno ſolvitur. 31 *l.* 6. *in fin. S. de hered. act.* 32 *l.* 1. *§.* 1. *ff. de ſeparation.* 33 Creditores defuncti ſeparationem a bonis heredis impetrant: niſi heredis fidem ſunt ſecuti. Cur ita? quia qui fidem heredis ſequitur, cum herede contrahit: ideoque creditor eſt heredis. 34 Neceſſitate qui litigat, adverſarium non probat. 35 Facit *l.* 1. *§.* 15. *l. ult. ff. de ſeparation.* vid. Cujac. 10. *obſ.* 25. 36 *l.* 7. *S. tit. prox.* 37 Exceptio ceſſionis. *§. ult. verſ. ecce enim. Inſt. de replic.* 38 *d. l.* 7. 39 Quid in hypothecariis? idem. Bald. *hic.* 40 *l.* 2. *§.* 3. *ff. de curatore bonis dando.* 41 Mortuus ſi heredem non habet, creditores in poſſeſſionem mittuntur. vid. *l.* 6. *in fin. J. l.* 4. *ff. h. t. l.* 1. *S. ne pro dote mulieris, bona quond.* Aliæ ſunt cauſæ poſſeſſionis bonorum rei ſervandæ cauſa, puta ſi quis fraudationis cauſa latitet, ne in jus vocetur. vid. *l.* 9. *J. h. t.* aut vocatus non veniat, nec defendatur. *l.* 2. *ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ.* ſi exilii cauſa ſolum verterit, nec defendatur. *l.* 13. *d. tit.* ſi heres ſatisdare juſſus non ſatisdet. *l.* 15. *ff. de rebus auctor.* adde Cujac. 10. *obſ.* 31. 42 Statim ſcil. 43 *l.* 1. *J. de jure dominii impetrando. l.* 4. *S. tit. prox. l.* 14. *S. de pactis.* 44 Hypothecarii creditores præferuntur chirographariis. vid. quæ dixi ad *l. ult. in fin. S. tit. prox. l.* 9. *J. qui pot.* 45 *l.* 5. *S. h. t.* 46 Pro rata debiti, chirographarii creditores pretium ex bonis debitoris redactum inter ſe partiuntur. 47 Heres particularis non repræſentat defunctum, niſi quatenus eſt heres: ut non in majorem quantitatem confundatur actio. 48 Pro rata qua creditor ſuccedit, confunditur actio. 49 *l.* 6. *S. de hered. inſt.* 50 *l.* 1. *l.* 6. *S. de hered. act.* 51 Dixi ad *l.* 5. *l.* 6. *S. de hered. act.* 52 Confuſionis habetur ratio hic: ne duo contraria ſint in eodem ſubjecto. 53 *l.* 1. *§.* 1. *ff. de ſeparat.* 54 Miſſus in poſſeſſionem ex primo decreto dominium non adquirit. *l.* 4. *S. qui bon. ced. poſſ. l.* 5. *ff. ut in poſſ.* 55 Miſſio ut fiat, hæc intercedere prius oportet. Oportet enim debitorem primum latitare, id eſt, abeſſe turpiter & quidem in fraudem creditorum: deinde non defendi: tum conſtare eum debitorem eſſe ipſius actoris ſummatim ſaltem. Inde petitur bonorum poſſeſſio & fit miſſio. Tempus poſtea aliquod labi & interjici neceſſe eſt, ut ad venditionem bonorum latitantis perveniatur, (quod ſpatium arbitrio judicis definitur) ut ex pretio redacto ſatisfiat creditoribus. 56 Decretum primum, vel ſecundum ut interponatur, reum latitare neceſſe eſt. *ut hic.* niſi adverſus reum jam damnatum agatur, & in ejus bona fiat eo nomine executio. *l. properandum.* 13. *§. ſin autem reus.* 3. *S. de judiciis.* niſi quis abſens ſit dolo malo reipublicæ cauſa. *l. & qui data opera.* 5. *ff. ex quib. cauſis majores.* niſi reus ipſe fiſco debeat, & a fiſco conveniatur. *l.* 1. *S. ſi propter publicas penſitat.* 57 *l.* 19. *ff. de in jus vocand. l.* 7. *§.* 1. *ff. quib. ex cauſ. in poſſ.* adde quæ dixi ad *l.* 5. *ſupr. h. t.* 58 Perjurus qui juravit judicio ſiſti, nec comparuit, adhuc citandus eſt, antequam miſſio fiat in ejus bona.

Si vero omnino abſit, examinet Judex, ubi ſit, induciis[1] *datis, intra quas ſi non occurrat, ſecundum unam partem examinato negotio mittet actorem in poſſeſſionem rerum ejus juxta*[2] *menſuram declarati debiti*[3]. *Quod ſi redeat*[4], *antequam proſequatur cauſam, reſarciat actori omne damnum: præſtabitque fidejuſſorem de lite proſequenda, & res ſuas ſuſcipiet.*

Miſſo uno ex creditoribus in poſſeſſionem ex primo decreto, cæteri venientes debito modo, & congruo tempore, videntur in poſſeſſionem miſſi. Bald.

10. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

CUm apud veteres quæſtionem ortam invenimus ſuper pecuniis debitis, pro quibus hypothecæ non ſunt conſtitutæ, propter res ad debitorem pertinentes, dum is ſeveriores creditores formidans, ſeſe celaverit, & illi de rebus ad eum pertinentibus competentia ingrediantur judicia, poſtulentque in poſſeſſionem rerum ſeſe tranſmitti: ſi[5] etiam alii creditores, quibus obnoxius eſſe videtur, poſſint quandam habere communionem in rerum poſſeſſione: hujuſmodi dubitationem amputantes, cenſemus per præſentem divinam generalem conſtitutionem, Ut ſi non omnes hujuſmodi debita prætendentes, ſed ex his certi ab judiciali ſententia in poſſeſſionem rerum mittantur, non ſolum hi, ſed etiam[6] alii omnes talia debita prætendentes, eadem commoditate potiantur, ut poſſint cum prioribus rerum detentatoribus communionem habere in rebus, de quibus (ſicut ſuperius declaratur) prolata fuerit ſententia. Quid enim juſtius eſt, quam[7] omnes, qui ad res debitoris mitti debent, eſſe participes hujuſmodi commoditatis? Ut autem non in perpetuum aliorum negligentia illi, qui pro ſuis debitis alacriores creditoribus aliis oſtenduntur fuiſſe, prægraventur: rectius nobis eſſe videtur, tunc communionem habere in poſſeſſione rerum alios creditores, qui non hoc peregiſſe noſcuntur, cum præſentes[8] quidem in una eademque degentes provincia, in qua & poſſeſſores rerum commorantur, intra duorum annorum ſpatia, abſentes[9] autem intra quadriennium creditoribus poſſeſſionem antelato modo detinentibus ſuum debitum certum[10] faciant, & expenſas[11] ſecundum quantitatem debitorum perſolvant eis, qui ſententias conſecuti ſunt, per ſacramentum[12] eorum manifeſtandas, qui eas adipiſcendæ gratia poſſeſſionis rerum ſuſtinuerunt: quia & ſecundum debita ſatis eis fieri, explorati juris eſt. Poſt[13] completum autem memoratum tempus, nullam eis eſſe licentiam eos, qui poſſeſſionem adepti ſunt, moleſtare, vel aliquibus damnis afficere: actiones autem, quas ex legibus ſibi competere putaverint: contra ſuos exercere debitores. §. 1. Sin autem hi, qui detinent poſſeſſiones, vel ex ſententia judicis res vendiderint, vel alio quocunque legitimo modo omne jus, quod in iiſdem rebus habere noſcuntur, in alias perſonas poſt definitum a nobis[14] tempus tranſtulerint[15], & certas pecunias acceperint: quicquid ſuperfluum inventum fuerit, & amplius quam eis debetur, hoc modis omnibus neceſſe eſt eos præſentibus tabulariis ſignare, & in cimeliarchio[16] ſanctæ Eccleſiæ illius civitatis, in qua hujuſmodi contractus celebratur, deponere: atteſtatione videlicet prius per memoratos tabularios conſcribenda: præſente etiam eo, qui res eas vendiderit, vel in alias perſonas tranſtulerit, ut per eam manifeſtetur tam quantitas pecuniarum, quæ pro venditione rerum, vel translatione præſtitæ ſunt: quam earum, quæ ſuperfluæ poſt diſſolutum debitum inveniantur: ut ſi quis poſtea creditor apparuerit, & debiti cautionem oſtenderit, poſſit ex his ſatis ſibi facere: prius ſcilicet Rectore provinciæ ſine aliquo damno cauſæ faciente examinationem, & non concedente nec viros reverendiſſimos œconomos, vel cimeliarchas[17] ſanctæ eccleſiæ, in qua pecuniæ deponuntur, aliquod detrimentum, vel diſpendium ſuſtinere: per ſuam autem interlocutionem creditorem præcipiente ſecundum modum debiti ex depoſitis pecuniis ſuum accipere debitum. Ut autem non liceat creditoribus in [venditione, vel] tranſlatione rerum, dolum, vel aliquam machinationem, vel circumſcriptionem facere: jubemus atteſtationem ſuper hoc celebrandam, apud Defenſorem locorum, geſtis intervenientibus, inſinuari, ſive tantum ex pretio, quantum debetur, ſive plus, ſive minus colligitur: & præſentibus non tantum (ſicut dictum eſt) tabulariis, ſed etiam viro reverendiſſimo cimeliarcha[18]: Apud quem (ſi ita contigerit) ſuperfluæ pecuniæ ſignatæ deponendæ ſunt: jusjurandum[19] ſacroſanctis evangeliis propoſitis venditore, vel translatore rerum præſtante, *quod neque per gratiam emptoris, vel ejus ad quem res jure ceſſionis transferantur, nec aliquo dolo interveniente minorem juſto pretio rerum quantitatem acceperit, ſed eam, quam revera cum omni ſtudio potuerit invenire.* Dat. 15. Kalend. Novemb. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII & ORESTIS virorum clariſſimorum anno ſecundo 532.

TIT. LXXIII.
DE PRIVILEGIO FISCI[20].

Res paraphernales uxoris non obligantur fiſco ex mariti primipilaris officio. Salic.

1. Imp. ANTONINUS A. Eutropiæ.

BOna mariti tui ſi ob reliqua adminiſtrationis primipilariæ[21] a fiſco occupata ſunt: res, quas tuas[22] eſſe liquido probaveris, ab aliis ſeparatæ tibi reſtituantur.

Mulier & fiſcus in tacita hypotheca paribus paſſibus ambulant. Bart.

2. Idem A. Valerianæ.

QUamvis[23] ex cauſa dotis vir quondam tuus tibi ſit condemnatus, tamen ſi priusquam res ejus tibi obligarentur, cum fiſco contraxit, jus fiſci cauſam tuam prævenit. Quod ſi poſt bonorum [ejus] obligationem rationibus meis cœpit eſſe obligatus, in ejus bona ceſſat privilegium fiſci[24]. PP. 14. Kal. Novembr. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

Uxor ſolvens fiſco pro marito, non ſuccedit in hypotheca fiſci, niſi ceſſa ſit actio. Bald.

3. Idem A. Julianæ.

SI cum pecuniam pro marito ſolveres, neque jus fiſci in[25] te transferri impetraſti, neque pignoris cauſa domum vel aliud quid ab eo accepiſti, habes perſonalem actionem: nec[26] poteſt præferri fiſci rationibus, a quo dicis ei vectigal denuo locatum eſſe: cum eo pacto univerſa, quæ habet habuitve eo tempore quo ad conductionem acceſſit; pignoris jure fiſco teneantur. Salva igitur indemnitate fiſci debitorem tuum pro pecunia, quam pro eo fiſco ſolviſti, more ſolito convenire non prohiberis. PP. 3. Kal. Jan. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

4. Idem A. Quinto.

SI debitor cujus fuiſſe fundum ipſe confiteris, prius[27] eum diſtraxit, quam fiſco aliquid debuit, inquietandum te non eſſe Procurator meus cognoſcet: nam etſi poſtea debitor extiterit, non ideo tamen ea, quæ de dominio ejus exceſſerunt, pignoris jure fiſco potuerunt obligari. PP. 3. Kal. Jul. LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

Fiſcus poteſt revocare pecuniam alii creditori ſolutam ſine uſuris. Bart.

5. Imp. ALEXANDER A. Mennæ.

PEcunia quam creditor a debitore ſuo recepit, ſi poſtea ex juſta cauſa fiſco reſtituenda[28] erit, ſine uſuris debetur[29]: quia non fœnus contractum[30], ſed ſuum recuperatum extraordinario[31] jure[32] aufertur[33]. PP. 15. Kal. Jun. FUSCO, & DEXTRO CONSS. 226.

6. Imp. GORDIANUS A. Severianæ.

CUm patrem tuum fiſci debitorem fuiſſe demonſtres, eumque nubenti[34] tibi poſſeſſionem dediſſe alleges: Procuratorem jus fiſci exequentem eam jure pignoris revocare potuiſſe intelligis. PP. Non. Jun. SABINO, & VENUSTO CONSS. 241.

7. Impp. VALER. GALLIEN. AA. & VALERIAN. C. Diodoro.

SI[35] in[36] te jus fiſci, cum reliqua [ſolveres] debitoris, pro quo ſatisfaciebas, tibi competens Judex adſcripſit[37], & tranſtulit: ab his creditoribus, quibus fiſcus potior habetur, res quas eo nomine tenes, non poſſunt inquietari. PP. 15. Kal. Jun. ÆMILIANO & BASSO CONSS. 260.

1 Induciæ dantur abſenti. 2 Non in omnia bona, ut olim. *l.* 1. *ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ.* 3 Quo nomine etiam expenſas & damna intellige. 4 Contumax reverſus re integra, rerum ſuarum poſſeſſionem certa lege revocat, *ut hic.* 5 *Si,* pro *utrum.* 6 Si creditorum unus miſſus fuerit in poſſeſſionem ex primo decreto, ejus miſſio proderit omnibus aliis creditoribus præſentibus, & intra biennium venientibus & debitum oſtendentibus, & expenſas pro rata refundentibus: abſentibus vero ſi intra quadriennium venerint & ſuperiora præſtiterint. 7 *l.* 12. *ff. de rebus autorit. judic.* 8 De creditoribus præſentibus. 9 De creditoribus abſentibus. 10 De qualitate debiti. 11 De præſtandis expenſis. 12 Miſſus in poſſeſſionem jurat de expenſis. 13 Intra quod tempus creditores admittuntur adverſus miſſum in poſſeſſionem. 14 Hæc verba *a nobis,* Alciatus expungit 1. *diſpunct.* 19. 15 Miſſionis utilitas alteri cedi poteſt. 16 *Cimeliarcho,* quidam etiam ita legunt, & male: de cimeliarchio adde *l.* 20. §. 1. *J. de agricolis & cenſit. lib.* 11. *tit.* 47. vid. quæ dixi ad *l.* 9. §. 6. *ff. de pœnis. Novell.* 74. *c.* 4. §. 2. *l.* 30. *S. de epiſcopali audient.* adde Theophilum *in* §. *ſacræ.* 8. *Inſtitut. de rerum diviſione.* 17 *Cimeliarchos, Nov.* 40. *in præf.* §. 1. 18 Cimeliarcho, hunc quidam vertunt theſaurarium. 19 Vid. quæ dixi ad *l.* 6. §. 4. *ſupr. de his qui ad eccleſias.*

20 Adde *lib.* 10. *tit.* 1. *J.* adde *L.* 49. *D.* 14. *Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. *ex tit.* 9. His adde Everardum in Topicis *loco* 61. a fiſco ad Eccleſiam & piam cauſam: in *loco* 62. a fiſco ad dotem: in *loco* 63. a fiſco ad minores: in *loco* 64. a minoribus ad fiſcum: in *loco* 65. ab Eccleſia ad fiſcum. 21 Id eſt, adminiſtratæ annonæ. 22 Propter dotem non dotales. *l.* 4. *J. in quibus cauſ. pign. tacite.* dixi ad *l.* 2. *S. ne uxor pro marito.* Res paraphernales uxoris fiſco non obligantur ex mariti primipilaris officio.
23 Tacita hypotheca fiſci & dotis, pari jure cenſetur, ſi quis prius debitor fiſci factus ſit, ita ut ei bona ipſius obligarentur, ac deinceps uxorem duxerit, ita ut dotis quoque nomine ſint obligata, fiſcus dote potior eſt. ſin e contrario dotis nomine prius obligatus fuerit, dos fiſco præfertur, *ut hic. Synopſ. Baſil.* 9. *tit.* 5. *ex tit.* 9. *c.* 2. Itaque mulier & fiſcus in tacita hypotheca pares, & ideo qui prior eorum fuerit tempore, potior erit jure. Pares enim, privilegii ratione, privilegiati ad jus commune rediguntur. vid. *l.* 12. *J. qui potior. l.* 9. *S. de jure dot.* Dos & fiſcus denique in tacita hypotheca paribus paſſibus ambulant, *ut hic, l. dotis tuæ.* 9. *S. de jure dotium. Nov.* 91. *c.* 1. uterque (fiſcus ſcil. & mulier) tacitam hypothecam ſuis ex contractibus habet. *l.* 2. *J. in quib. cauſ. pignus tacite contr. l.* 1. *l. aufertur.* 46. §. *fiſcus.* 3. *ff. de jure fiſci. l. unica* §. 1. *S. de rei uxoriæ act. l. ult. S. de pactis conventis. l. aſſiduis.* 12. *J. qui potiores.* §. *fuerat.* 29. *Inſt. de act. c. ex litteris.* 5. *extr. de pign.* Et proinde ſi inter ſe concurrant, præfertur is eorum qui prior tempore fuerit. *hac l. & d. l. dotis* 9. Quemadmodum ergo fiſcus non præfertur prioribus & anterioribus expreſſam hypothecam habentibus. *l. ſi fundum.* 4. *J. & l. ſi pignus.* 8. *ff. qui potiores.* ita nec dos. *communis opinio in d. l. aſſiduis* 12. ut fiſcus præfertur anterioribus creditoribus generalem tantum habentibus in bonis debitoris poſtea quæſitis. *l. ſi qui mihi* 28. *ff. de jure fiſci. l.* 3. *J. h. t.* ſic & dos: quia in ambiguis doti favendum eſt. *l. in ambiguis.* 85. *ff. de regulis.* Salicet. *in d. l. aſſiduis* 12. (licet Gloſſa ibidem contrarium ſentiat). Ut fiſci obligatio præſumitur privati obligationem præceſſiſſe *l.* 1. *J. de jure fiſc.* ſic & dotis obligatio. Salicet. *d. l. aſſiduis* 12. Melior eſt tamen fiſci conditio in cauſa primipili, id eſt, annonæ militaris, quam conditio dotis. *l.* 1. *ſupr. h. t.* Contra quibusdam caſibus potior eſt cauſa dotis quam fiſci: quia tacita mulieris præfertur privati creditoris tacitæ, licet anteriori. *d. l. aſſiduis.* Salicet. *Authent. quo jure. J. qui potiores:* fiſcus tamen non item, *l. unica S. rem alienam gerentibus. l. ſi pignus.* 8. *ff. qui potiores.* Plateus *l. unica. J. pœnis fiſcalibus credit. præferri.* Item tacita dotis hypotheca, licet poſterior, præfertur fiſco, bona alicujus occupare volenti ex cauſa maleficii, quia in delictis fiſcus tacitam hypothecam non habet. *Gloſſ. in d.* §. *fiſcus & l. reſcriptum.* 10. *ff. de pactis.* 24 Inter mulierem & fiſcum ſervatur ordo temporis. Quid ſi mulier concurrit cum privato antiquiore? privatum vincit. *l. aſſiduis.* 12. *J. qui potiores.* concurrens cum fiſco antiquiore, vincitur. Concurrens cum privato & fiſco antiquioribus (demus maritum contraxiſſe cum privato, ac fiſcum cum muliere) vincit privatum & fiſcum; fiſcum quidem non concurrendo cum fiſco, ſed concurrendo cum privato, eumque vincendo qui jam vicit fiſcum. vid. Anton. Mercatorem 3. *Notar.* 14. Robert. 3. *Animadverſ.* 14. 25 Uxor ſolvens fiſco mariti nomine in hypothecam fiſci non ſuccedit, niſi ei ceſſa ſit actio. vid. *l.* 7. *J. h. t.* Ideoque ſi maritus denuo conduxit vectigalia, potior erit cauſa fiſci quam mulieris. Cur ita? fiſcus præfertur omnibus hypothecam non habentibus: mulier ſolvens pro marito tacitam hypothecam in bonis mariti non habet. 26 *l.* 2. *J. in quib. cauſ. pign. l.* 46. §. 3. *ff. de jure fiſci.* 27 Si quis diſtraxerit, & poſtea fiſco debuerit, a fiſco non convenitur is qui ab eo rem comparavit. *Synopſ. d. tit.* 9. *c.* 4. Privilegium fiſci non extenditur ad bona debitoris, vendita antequam contraxerit cum fiſco, *ut hic, & l.* 1. *J. de conveniend. fiſci debitoribus. l.* 9. §. 2. *infr. de bonis proſcript. l.* 15. *ff. de donat.* niſi in fraudem fiſci alienatum. *l.* 1. *J. de jure fiſci.* 28 Fiſcus poteſt ex ſuo privilegio pecuniam creditori ſolutam ſine uſuris revocare. *l.* 19. *ff. de jure fiſci.* 29 Cur ſine uſuris? fiſcus rem perſequitur, non perſonam. In perſecutione in rem uſuræ non veniunt. *l.* 62. *ff. de rei vind.* 30 Id eſt, creditor pecuniam recipit ut ſuam, non ut mutuum fœneratitium quod ei auferri non poteſt, niſi extraordinaria perſecutione, in quam uſuræ venire non poſſunt. 31 Id eſt, cognitione præſidis: puta ſi debitor non ſit ſolvendo. 32 Sui ſcilicet privilegii. 33 Soluta plerumque pecunia creditori aufertur, *ut hic, & l.* 6. §. 2. *ff. de reb. aut. jud. l.* 24. *ff. quæ in fraudem cred. l.* 18. §. *ult. l.* 19. *ff. de jure fiſci.* 34 Debitor filiam in fiſci præjudicium dotare non poteſt, & ſi dotaverit, dos retrahetur. 35 Imo ut judex non tranſtulerit, privilegiarii tamen ii quoque videntur, quorum pecunia ad privilegiatum pervenit. *l.* 2. *ff. de ceſſ. bon. l.* 24. §. 1. 2. *ff. de reb. aut. jud.* vid. Cujac. 18. *obſ.* 40. 36 Fiſco ſeu in jus fiſci ſuccedens, potior eſt illis creditoribus quibus & fiſcus præferebatur. *Synopſ. d. tit.* 7. 37 Privilegium fiſci transferri poteſt. *ut hic. & l.* 3. *S. h. t. l.* 45. §. 9. *ff. de jure fiſci.* Galli, *le faire ſubroger & mettre aux droicts du Roy.*

TIT. LXXIV.
DE PRIVILEGIO[1] DOTIS.

Privilegium, quod datur ratione perſonæ, ad heredes non tranſit. Bart.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Firmo.

SCire debes, privilegium dotis quo mulieres utuntur in actione de dote, ad[2] heredem non tranſire. PP. Kalend. Maji, POMPEJANO & AVITO CONSS. 210.

TIT. LXXV.
DE REVOCANDIS[3] HIS, QUÆ IN FRAUDEM[4] CREDITORUM ALIENATA[5] SUNT[6].

Alienatis bonis a debitore in fraudem creditorum, ſupereſt poſtea creditori actio perſonalis contra debitorem, & revocatoria contra eum, in quem facta eſt alienatio. Bald.

1. Imp. ANTONINUS A. Caſſiæ.

HEres, qui poſt aditam hereditatem ad eum, cui res ceſſit, corpora hereditaria tranſtulit: creditoribus permanſit obligatus. Si igitur in fraudem tuam id fecerit: bonis ejus excuſſis[7], uſitatis actionibus (ſi tibi[8] negotium geſtum fuerit) ea, quæ in fraudem alienata probabuntur, revocabis. PP. 2. Id. Octob. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

Pater non poteſt dotare filiam in præjudicium creditorum.

2. Imp. ALEXAND. A. Symphorianæ.

SI ſucceſſione patris abſtenta[9] fuiſti: ob ea, quæ in dotem[10] data ſunt convenire te creditores nequeunt, quibus pignora in dotem data non docentur: niſi bonis defuncti non ſufficientibus, in fraudem creditorum dotem conſtitutam probabitur. PP. 10. Kalend. Julii, PROBO, & MAXIMO CONSS. 233.

Filius, qui nihil poſſidet de bonis paternis, nec titulo donationis, nec alio, non poteſt a creditoribus paternis conveniri. Bald.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Acyndino.

SI paterna[11] hereditate abſtinuiſti[12], nec quicquam in fraudem creditorum ex bonis ejus in te donationis[13] jure tranſcriptum eſt: a privatis creditoribus Præſes provinciæ conveniri te non patietur. PP. 10. Kalend. Jul. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

Heres non revocat alienata in fraudem a defuncto. Salic.

4. Iidem AA. & CC. Epagatho.

FIlios[14] debitoris, ei ſuccedentes, veluti in creditorum fraudem alienatorum facultatem revocandi non habere, notiſſimi juris eſt. Subſcripta 10. Kal. Maji, AA. CONSS.

5. Iidem AA. & CC. Creſcentio.

IGnoti juris non eſt, adverſus eum, qui ſententia condemnatus, intra ſtatutum tempus[15] ſatis non fecit, nec defenditur, bonis poſſeſſis, itemque diſtractis: per actionem in factum contra emptorem, qui ſciens[16] fraudem comparavit, & eum, qui ex lucrativo[17] titulo poſſidet, ſcientiæ mentione detracta, creditoribus ſuis eſſe conſultum. S. 10. Kal. Novembr. AA. CONSS.

6. Iidem AA. & CC. Menandræ.

SI actu[18] ſolenni[19] præcedentem obligationem peremiſti: perſpicis adverſus fraudatorem intra[20] annum[21] in quantum facere poteſt, vel dolo malo fecit, quominus poſſit, Edicto perpetuo tantum actionem permitti.

1 Privilegia dotis varia ſunt, de quibus vide Baldum Novellum, Campegium, & alios *in tractatib. de dote. Nov.* 97. *cap.* 3. & 109. & 29. *Ecl.* 1. vid. Baldum *ad l.* 1. *ff. ſoluto:* Oldend. *cap.* 13. *de jure ſingulari.* Fiſci privilegiis dos in tacitis hypothecis fruitur, & cum fiſco paribus paſſibus eo caſu ambulat, de quo vid. quæ diximus *ad l.* 2. *J. tit. prox.* 2 Privilegium dotis non tranſit ad heredem extraneum mulieris, *ut hic. Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. *ex tit.* 9. Imo ad heredem indefinite tranſit. *l.* 13. §. 3. *ff. de fundo dotali.*
3 In Gallia literis regiis hujuſmodi revocatio fieri debet. Rebuff. *proœm. conſt. gl.* 5. *n.* 102. 4 Dixi ad *L.* 42. *D.* 8. & §. 6. *Inſt. de act.* 5 Alienandi verbum latiſſime patet. *l.* 1. *in fin. ff. h. t. l. ult. ſupr. de reb. alienis non alienandis.* 6 Per actionem Paulianam ſcil. de qua vide Oldend. *Claſſ.* 6. *act.* 1. 7 Pauliana adverſus poſſeſſorem non competit, niſi bonis debitoris excuſſis. 8 *Sicut negotium* &c. quidam ita legunt. vide Cujac. 7. *obſerv. ult.* Putat autem intelligi uſitatas actiones in factum quæ rem geſtam demonſtrant. *l.* 6. *S. de transact.* 9 Vide *l.* 3. *infr. h. t.* 10 Dos filiæ in bonis patris non eſt. vide *l.* 11. *ff. quib. mod. pign.* 11 Dos in fraudem creditorum conſtitui non poteſt. facit *l.* 13. *S. de don. ante nupt. l.* 6. *S. de privil. fiſci.* vid. tamen *l. ult. J. de primip. lib.* 12. *tit.* 63. *Syn. Baſil.* 2. *tit.* 6. *tit.* 8. *c.* 17. & 3. Harm. 5. §. 51. 12 *l.* 2. *in pr. S. h. t. l.* 4. *ſupr. arbitr. tut. l.* 22. §. 1. *verſ. ſimilique. ſupr. de jure deliberandi. l.* 1. *ſupr. de repudianda hered. l.* 4. *J. de primip. l.* 57. *ff. de adquir. vel omitt. heredit.* Abſtinendi verbum hic pertinere ad emancipatum filium Cujacius putat. Nam emancipatus abſtinere dicitur. 13. *obſ.* 33. 13 Donare in fraudem creditorum non poſſumus. 14 Filii non revocant alienata in fraudem, ne patris alioquin turpitudinem detegant. 15 Utilis anni. *l. ult. infr. h. t. l.* 6. *in fin. l.* 10. §. 18. *ff. h. t.* 16 Adde *l.* 1. *l.* 6. §. 8. *l.* 10. *ff. h. t.* 17 Revocatoria quoties actione agimus, qualitas alienationis ſpectanda, quippe ſi titulo lucrativo res alienata eſt, fraudem dantis interveniſſe ſufficit: Sin vero oneroſo, dantis ſimul, & accipientis interveniſſe neceſſe eſt. *l.* 6. §. 11. *ff. h. t.* 18 Actus ſolennis ſtipulatio. 19 Puta acceptilatione. *l.* 1. *in fin. ff. h. t.* 20 Vide ad hanc legem difficilem ſatis, Cujac. 12. *obſ.* 5. 21 Vid. *l.* 5. *in pr. S. h. t.*

D. JUSTINIANI
SACRATISSIMI PRINCIPIS, PP. A.
CODICIS
REPETITÆ PRÆLECTIONIS,
LIBER OCTAVUS.

TIT. I.
DE INTERDICTIS[1].

Interdicta, ne rami arborum noceant, per identitatem rationis extenduntur, ne earum radices officiant. Bart.

1. Imp. ALEXANDER A. Evocato.

CUm[2] proponas, radicibus[3] arborum in vicina Agathangeli area[4] poſitis creſcentibus, fundamentis domus tuæ periculum afferri: Præſes, ad exemplum interdictorum, quæ in albo[5] propoſita habet [Prætor,] *Si arbor in alienas ædes impendebit:* item, *Si in alienum agrum impendebit:* quibus oſtenditur, nec[6] per arboris quidem occaſionem vicino nocere oportere, rem ad ſuam æquitatem rediget. PP. 6. Kal. April. JUL. II. & CRISPINO CONSS. 225.

2. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. Meſſiæ[7].

PRæſes provinciæ in eum, qui ejuſdem[8] provinciæ non eſt, nec ex interdicto[9] poteſt cognoſcere. PP. 7. Kalend. Maji, SECULARE, & DONATO CONSS. 261.

Poſſeſſorium præfertur petitorio, cum de utroque ſimul eſt quæſtio, & ſuccumbens in eo, debet probare in petitorio, & agitur interdictorum exemplo. Salic.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Pompejano P. P.

INcerti juris non eſt, orta proprietatis & poſſeſſionis lite, prius[10] poſſeſſionis decidi oportere quæſtionem competentibus actionibus, ut ex hoc, ordine facto, de dominii diſceptatione probationes ab eo, qui de poſſeſſione victus eſt, exigantur. Interdicta autem licet in extraordinariis[11] judiciis proprie locum non habent, tamen ad exemplum[12] eorum res agitur. Subſcripta Kal. Januar. *Sirmii,* ipſis AA. CONSS.

Ille, qui proponit interdictum in limine judicii, tenetur actionem exprimere. Bald.

4. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Æmiliano P. P.

SI quis quodlibet interdictum efflagitet, ruptis veteribus ambagibus[13], inter ipſa cognitionum auſpicia[14] actionem[15] exprimere[16], ac ſuas allegationes jubeatur proponere. Dat. 13. Kal. Auguſt. *Conſtantinop.* ARCADIO A. VI. & PROBO CONSS. 406.

1 Dixi ad *L.* 43. *D.* 1. Interdicta ſuntne hodie uſitata? vid. *l.* 3. & 4. *J. eod. & l. ult. J. de liber. exhib. & ff. de interdictis ſive de extraordinariis actionibus quæ pro his competunt.* 2 Arbor ſi vicini in media area poſita magnis actis radicibus, domus meæ fundamentis periculum affert: cogitur vicinus prætoris ſeu magiſtratus providentia eum excidere. 2. Harmenop. 4. §. 102. 3 Interdictum *Ne rami arborum noceant,* per identitatem rationis extenditur, ne arborum radices officiant. 4 Ἐν τῷ μεσαυλίῳ. 5 Interdicta in albo propoſita. vid. Cujac. 5. *obſ.* 17. *in princ.* Goth. Adde Cujac. *lib.* 8. *obſ. cap.* 15. Duaren. 1. *cap.* 13. Leonin. *Emendat. lib.* 5. *cap.* 8. Anſ. 6 Neque per arboris quidem occaſionem vicino noceri oportere. 7 Adde *l.* 1. *ſupr. ubi de hered. agat.* 8 *d. l.* 1. vid. *l. ult. ff. de juriſd.* his adde quæ ſcripſi ad *l.* 3. *ff. eodem.* Goth. Intellectum hujus l. vid. apud Joh. Zanger. *de except. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 320. 321. Anſ. Adde Cujac. *lib.* 5. *obſ. cap.* 19. S. L. 9 De poſſeſſione ſcil. plerumque enim interdicta fiunt de poſſeſſione, vel quaſi. vid. Cujac. 5. *obſ.* 19. 10 Cauſa poſſeſſionis ante proprietatis cauſam deciditur. Poſſeſſorium præfertur petitorio, id eſt, petitorium cauſamque proprietatis præcedit. §. 4. *Inſt. h. t. l.* 3. *ſupr. fin. regund. l.* 37. *ff. de judiciis. l.* 13. *ſupr. de rei vind. l.* 35. *ff. de adq. vel amitt. poſſ. l.* 1. §. 3. *ff. uti poſſidetis.* 2. *Feud.* 4. & 20. & 82. Unde colligitur, Interdictum retinendæ poſſeſſionis cum petitorio proponi ſimul non poſſe: ne ſibi contrarius actor videatur. facit *l. ult. ff. de jud. l. ordinarii.* 13. *ſupr. de rei vind.* Fallit, ſi agitur de re incorporali. *c. paſtoralis* 5. *extr. de cauſa poſſ. & propriet.* aut diverſis poſſeſſionibus: poteſt enim quis petitorio experiri ad poſſeſſionem naturalem adipiſcendam: ut & retinendæ interdicto agere, ad civilem defendendam. Bart. *l. naturaliter.* 12. §. *nihil commune.* 1. *ff. de adq. vel amitt. poſſ.* Quid? interdictum recuperandæ vel adipiſcendæ, poteſtne ſimul una cum petitorio proponi? poteſt. *l.* 18. *ff. de vi. l.* 10. *ſupr. de judic.* ubi dixi. Cujac. 7. *obſ.* 35. adde Socinum *reg.* 187. 11 Quæ non concepta a Prætore formula impetrabantur. Frontinus & Agenus *in lib. de limitibus agror.* oſtendunt, jure ordinario ex interdictis actum fuiſſe. adde *l.* 47. *ff. de negotiis.* 12 Hodie ex interdictis non agimus veteri more per formulam: ſed extra ordinem non directo, ſed utiliter: non directo, ſed quaſi interdicto ſive exemplo interdicti, *ut hic & l. ult. J. h. t. l. ult. J. de lib. exhib. l.* 2. 4. *J. unde vi.* id eſt, actione in factum. §. *ult. Inſt. h. t.* Inde titulus Pandectarum, *de interdictis ſive extraordinariis act. quæ pro his competunt.* 13 Id eſt, omiſſo veteri ordine. *l.* 3. *ſupr. h. t. l.* 3. *infr. tit. prox.* ordine, inquam, adeundi Prætoris impetrandæ formulæ. vid. Cuj. 5. *obſ.* 17. remotis denunciationum & temporum ambagibus, de quibus dixi ad *l.* 2. *ſupr. ſi ex plurib.* 14 Id eſt, confeſtim. 15 Utilem in factum. 16 Dixi ad *l.* 2. *ſupr. ſi ex plurib. tut.*